Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 721
Quelle:
Copyright:

XXIII. *fol.* 201. *Incipit Liber augustini de predestinatione sanctorum.* Initium: *Dixisse quidem apostolum scimus* &c. ut T. X. *col.* 789.

XXIV. *fol.* 208. Liber idem, qui *n.* XVII. relatus est.

XXV. *fol.* 215. *Incipiunt capitula libri enchiridion. beati augustini ad laurentium primicerium ecclesie urbice de fide et spe et caritate.* Sunt numero 125. in editione vero T. VI. *col.* 195. numerantur tantum 122. Initium ipsius Enchiridii: *Dici non potest dilectissime fili* &c. In Codicibus, quibus usi sunt *Mauriani*, non videtur occurrisse τὸ *Ecclesiae urbicae.*

CCCXXXIV.

R.3119 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 103. 4. non una manu, bene tamen exaratus, rubro distinctus, et prius *sancte Marie in povmgartenberge*, varia complectitur, et I. quidem *Incipit enchiridion. i. manualis liber Sancti Augustini episcopi.* Praeit Elenchus *Capitum* LXXI. Initium est: *Dici non potest fili Laurenti* &c. ut saepius jam utroque *Vol.* relatum est, et T. VI. *col.* 195. edit. *Maur.* habetur, quacum Codicis lectio probe consentit. Extat hoc Opusculum a me germanice reddidum inter *Denkmaale der christlichen Glaubens - und Sittenlehre* T. I. P. 2.

II. *fol.* 62. seu p. 123. *Incipit Soliloquium Hugonis* (Victorini) *de discretione et anima.* Melius Dialogus inter has, cujus initium: *Loquar secreto animę meę* &c. ut saepius dixi, et videre est edit. *Rothomag. Opp.* T. II. p. 223. ubi *de Arrha Animae* inscribitur, et Praefationem habet.

III. p. 143. *Visio drictelini uiri dei quam scribit beda presbiter in gestis anglorum.* Et rursus ad calcem: *Explicit Visio drictelini uiri dei.* Narrat eam *Beda* L. V. c. 13. neque nomen Viri *Drithelmus*, anglosaxonice *Dryhthelm*, nisi sub finem narrationis usurpat. Excerptum nostrum incipit ibi: *Hic aliquamdiu mortuus primo tempore noctis scilicet diluculo reuiuiscens ac repente residens* &c. et definit ibi: *me repente inter homines uiuere cerno.* Ejusmodi per Purgatorium, Infernum et Coelum Peregrinationes non semel mihi visae sunt *Danti Aligerio* ideam *Divinae* suae *Comoediae* subpeditasse.

IV. p. 148. Versus quidam pii. Primi de Mercede aequali Operarum *Matth.* c. 20. *Vinea culta fuit* &c. Tetrastichon secundum adscribo:

Est aliquando bono bene, ne grauius superetur,
Est male, quo maculas lauet, aduersisque probetur.
Est aliquando malo bene, quo grauius feriatur,
Est male, quo redeat, uel ut hic quoque iam patiatur.